nec adolescētes robore fulciat, aut ulla iucunditate uoluptatis alliciat: nec populis opem ullam afferat: nec uiduarum miseriam ullo solatio subleuandam curet. Omnes enim iustitiam nefarie simul oderunt, cum sint crimunbus infinitis alligati, & ad inferendam perniciem prompti sunt, linguaque ad maledicendū celerem, & exercitatam habent. Ideo no est auersa ira domini: sed adhuc manus illius est ad eos multo altius uulnerandos intenta. Ipsi enim sibi materiam exitij præbent. Exurit enim impietas incendiūs & primum quidem spinas, atque uepres exurit, deinde ubi paulatim uires colligit, in densa, & opaca silua igne implicat, & arbores altissimas inflammat, fumus densus, & ater in sublime fertur. Vt ys etiam qui procul habitant horribili specie terrorem incutiat. Propter iram summi illius Imperatoris tetra quædam nox, & caligo terris offusa est, unuersusque populus quasi quædam silua igne concipiet, qua tandem subito conflagrabit. Primum igitur intestinis bellis ardebit, pestiferaque ciuium inter ciues dissentione dissipabitur. Omnes in mutuam cædem ruent, nec eos naturæ communio, aut sanguinis propinquitas a tanta sceleris immanitate reuocabit. Impetum quisque faciet huc, & illuc, & e bonis fratrum suorum prædabitur: nullis tamen spoliis poterit auaritia expleri: nullo suorum sanguine crudelitas importuna satiari. Tanta porro flagrabunt amentia, ut no uideant se sibi ipsis, cū ciuium, atque fratrum suorum uires consumunt, interitum, & exitium machinari. Perinde enim, ac si corporis unus membra inter se hostili odio dissiderent, & os dentibus suis brachium manderet, atque conficeret, &

Omnis enim hypocrita é & nequam.

Vir fratri suo non parcet.

simili